

PROGRAMMA
IN
EXSEQUIIS

PRORECTORIS MAGNIFICI
GEORGII WOLFFGANGI
WEDELII

P. P.
IN
ACADEMIA IENENSI

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

Biogr. erud.

D. 232, 56.

Vitt. Erud. Sing. - Vitt. Lib. h. - 7

H. Mag. f. v. 1.

PROGRAMMA

IN

EXERCITIIS

PROFESSORIS MATHEMATICI

GEORGII WOLFFGANGI

WEDDELI

ACADEMIAE TENNISI

LEIPZIGI

Handwritten scribbles



PRORECTOR ACADEMIAE IENENSIS

IO. IACOBVS SYRBIVS,

PHILOSOPHIAE PRIMAE ET RATIONALIS PROFESSOR

PUBLICVS ORDINARIVS ET ORDINIS

PHILOSOPHICI DECANVS

CVM PROFESSORIBVS RELIQVIS

S. D.

C I V I B V S.



Plendida academiæ RECTORIS auctoritas est
priuilegiaque, quibus ipsum imperatores, re-
ges ac principes ornarunt, plane sunt illustria,
siue dignitatis locum, qui ei debetur, siue
academica scepra regiminis simulacrum, siue
peculiarem corporis cultum respiciamus,
quæ & ipsa MAGNIFICI adpellatio splendoris, grauitatis, exi-
stimationis plenissima, & a regibus aliisque illustrissimis per-
sonis vsurpata satis superque significat. at quamuis in summo
honoris fastigio positi, amplissimis fortunæ muneribus ornati,
etiam meritorum copia præstantiaque cum quolibet certent,
omnesque officii partes moderentur sapientissime, a dura tamen
moriendi lege rectores academiæ haud exceptos esse, & hoc litte-
rarum domicilium lugens testatur. qua purpura quippe aca-
demica conspicuos mors veluti iratori fato abstulit anno
MDLXXI. d. XXI. nouembr. IO. ROSAM, qui diuiniore doctrinæ
litteras professus: anno MDLXXXII. d. XII. martii ANDREAM

) 2

ELLIN-

ELLINGERVM artis medicæ professorem : MDCII. d. XII.
april. NICOLAVM REVSNERVM, disciplinarum iuris
doctorem publicum & superiori anno virum illustrem
GEORGIVM WOLFFGANGVM WEDELIVM,
Schvvarzæ prædium hereditarium tenentem, medicæ artis
doctorem, sacri palatii comitem, comparate a consiliis, etiam
aulicis & archiatrum serenissimi ac potentissimi imperatoris
romani semper augusti, eminentissimi electoris Moguntini,
serenissimorum Saxoniae ducum, nec non praxeos & chimiae
professorem publicum ordinarium, totius academiae & ordinis
medicorum seniore, cuius funus hodie animo perturbato &
perculso indicimus. amissimus enim virum eruditionis laude
& fama, quæ musarum orbis patet, illustrem, in quo omnes ar-
tes atque disciplinae liberales, maxime medicæ simul & quasi
foedere copulatæ atque omnibus partibus numerisque expletæ
reperiebantur: virum vitæ atque animi sanctimonia celebra-
tum, cuius diuina virtus in maxima celebritate atque in ocu-
lis hominum exsplenduit: virum stabilis fortunæ muneribus
& dignitate insignem, immo ornamentum & præsidem nostræ
academiae, in cuius fidem, prudentiam potestatemque omnia
erant tradita. quapropter non mirum, quod audita voce:
occidit, occidit MAGNVS WEDELIVS, PRORECTOR MAGNIFI-
CVS, miserabilis quoque audita fuerit comploratio, quum alii
maritum ac patrem fide maximum sibi ademptum desidera-
rent: alii vinculum amicitiae veræ atque officiosæ solutum
societatemque consiliorum & voluntatum sublatam lugerent:
alii quos suscepit libenter, susceptos fouit benigne & dato
ornandi loco, ornauit cumulate, de hoc salutis suæ erepto
munimento irent in lacrimas: litteræ, quas præsentibus tuebatur
ope, fortunam suam casu hoc labefactatam dolerent, ac ma-
xime musæ nostræ ad primam acerbitatis tantæ famam ita ca-
derent animis, vt nullo consolationis genere erigi posse & ab
angoribus auocari viderentur. nec mirum, quod dolorem,
qui tempore, vt fit, cœpit mitigari & leuari, commemorando
tristissimam hanc iacturam, reuocemus, etiam memoria hac
lugubri augeamus.

Sunt medici, qui pontificis romani auctoritate ob me-
ritorum copiam sanctorum ordini adscripti, & in quorum
memoriam festi dies celebrati sunt religiose, ex quibus AEMI-

LIA-

LIANVM, ALEXANDRVM, ANTIOCHVM, ANTONIVM, CY-
RVM, CAESARIVM, COSMVM ET DAMIANVM, DIONYSIVM,
IOACHIMVM IAPONENSEM, IO. DAMASCENVM, NICERE-
TAM, PANTALEONEM, PAPILVM, THEODOTVM, vt de aliis
taceamus, memorasse sufficiat. equidem quum emendata cæ-
lestique beneficio instaurata sacra sequimur, plane ab huius-
modi alieni sumus superstitione; memoriam tamen eruditio-
ne, virtute ac fama illustrium virorum & in his maxime
WEDELII, Prorektoris nostri, cuius laudem constitutum
rerum naturæ corpus comitem æui sui trahet, sancte & pro
religionis nostræ ratione rite celebramus. ac quamuis ipsius
meritorum ea sit magnitudo copiaue, vt ista nec disertissimus
orator pro dignitate persequi ac facundia sua capere possit:
ea ipsa tamen nec non officium nostrum tantum funus taci-
tum efferri, sine ingrati animi crimine non permittunt, inpri-
mis quod duo sunt, quæ illustrium virorum exemplis decet
obseruari, grata memoriæ veneratio & sollers virtutum imi-
tatio. annus seculi superioris XLV. eiusque dies XII. nouembr.
erat, quo natura non effœta in Lusatiæ inferioris oppido,
quod Golsena dicitur, eum virum parturiebat, qui litterarum
præsidium, rerum magnarum amplissimæque fortunæ ma-
gnum lumen futurus erat. natus est parentibus & familiæ &
ingenii & omnium virtutum laude egregiis, viro maxime re-
uerendo amplissimoque M. IO. GEORGIO WEDELIO, sacro-
rum tum Golsenæ, & posthac Sprembergensium antistite præ-
cipuo; matre vero matrona clarissima EVA, filia ALEXANDRI
KOHLEI, qui in coetu diuini Golsensi partes suas sancte
obiit, etiam pro constanti confessione religionis christianæ
vltimum idque grauissimum suscepit supplicium, matrimonii
societate cum ELISABETHA, filia GEORGII DANCKERI oppidi
Golsensis consulis coniunctus quique parentes habuit VALEN-
TINVM KOHLIVM, scholæ Schliebensis rectorem & EVAM,
natalibus Meurerianis oriundam. auus WEDELIO nostro fuit
IO. GEORGIUS WEDELIVS, redituum præfectus electoris Pa-
latini & in oppido Eschenbacensi consul, senatoris ibidem
IO. WEDELII filius: auia vero MARIA nata a CASPARE MAR-
QUARDO, qui salinis præfuit & Kemnath superioris Palatinatus
consulatu feliciter functus. quantas faulrix natura opes ha-

bet, quibus nascentium indolem instruat atque ornet, eas omnes in NOSTRVM contulit ac cumulauit: quapropter simulac ingenii vis apparuit, creditus est Golsenæ fidei CASPARIS DOLCII, cui amœnam & suauem & doctrinæ capacem indolem ita probauit, vt anno MDCLVI. d. XXIX. april. de patris sententia ad illustrem prouincialem scholam Portensem admissus, vbi magnam laudis materiam reperit, & ad ingredienda artium liberalium studia nactus duces IO. KVHNIVM, IVSTVM GVTBIER, IO. BARTHOLOMAEI, IO. GEORGIVM LAVRENTII, GALHOFIVM ET IO. HENRICVM WILHELMI, pro diuinæ mentis ardore tanta cepit incrementa, vt ætatem superante ingenii cursu de *laudibus Ciceronis* itemque *Horatii Flacci* declamaret recitaretque carmen genere alcaico conscriptum, etiam alios certandi labore gloriaque vinceret felicissime. sic rite posuit fundamenta eaque firmiora, quum elegantioris doctrinæ litteris, quæ gratiam addunt seuerioribus disciplinis, quæ iuuentutem alunt, senectutem oblectant, per gentes ac nationes proferunt famam, impleret pectus, nec ad grauiora adgressus illarum curam ex animo abiiceret. hinc ann. MDCLXII. d. XVIII. april. lenam profectus & operam dedit sapientiæ, contemplationi in primis naturæ & matheseos studiis, in quo laudis cursu præter ceteros coluit & sectatus est IO. PRAETORIVM, ordini philosophorum adscriptum, CASPAREM POSNERVM & ERHARDVM WEIGELIVM, professores excellentissimos, quæ adiumenta quum collegisset sibi cumulate, arti medicæ penitus sese tradidit institutioni GOTHOFREDI MOEBII, IO. THEODORI SCHENCKII, IO. ARNOLDI FRIDERICI, GVERNERI ROLFINCII medicorum meritis ac fama insignium addictus; ac prout ad magna illustriaque erat natus, sic acerrima ipsius mentis acies non permisit, vt quieti se traderet atque industriam remitteret, omnemque adeo mollitiem & luxuriam magno studio ac summa contentione auersatus. proinde varia ad disputandum argumenta proposuit & præsidio laudati ROLFINCII, qui ipsum singulari complexus est amore deque eo dicere solitus: *tu potius eges freno, quam stimulis* firmatus ter disputauit magno gratulantium applausu. exactis heic quinque annis anno MDCLXVII. concessit Landsbergam & medicinam facere instituit; reuersus autem perlustrata Silesiæ parte & Witebergam Lipsiamque itinere facto lenam ann. MDCLXVII. sum,

summos artis suæ honores laboris fructus impetrauit, quam dignitatem defendere instituit & susceptis commentationibus de *pollutione nocturna, opio, diebus criticis* extulit sese altius, scholasque cum magno audientium concursu aperuit. habent hoc magna ingenia & magnæ mentes, ac facile proprium habent, vt rerum factorumque gloria protinus se a vulgo disiungant, vi sua indita se moueant, veluti alis prouehant flammamque obiectæ caligini resistentem tenebrasque dissipantem imitentur. quocirca data laudis ac meritorum facultate, nitebatur altius, petebat sublime, quod & mentis ardore incitatus propitio numine ascendit feliciter, adeo vt in ipso virum magnum **INGENIO**, magnum **VIRTUTE** mirari, venerari debeamus.

INGENIO igitur magnus fuit **WEDELIVS**. longum esset narrare, quibus studiis, qua contentione litteras iuuerit, ornauerit & in maiorem melioremque protulerit locum, & quantam subinde nominis famam existimationemque sibi conciliauerit. fata lugemus **HIPPOCRATIS**, medicorum principem desideramus, cui incredibilis medicinæ notitia, continens contemplatio rerum naturæ abstrusissimarum, remediaque prompta & præsentissima non solum apud communis sortis homines; sed & illos, quos deus in summo rerum humanarum fastigio collocauit, imperatores, reges, principes singularem venerationem, summam dignitatem famamque pepererunt. eruit plurima atque scrutatus diligentissime, pleraque inuenit, prope extincta instaurauit, quæue exactissima ratione ac diuina mente rimatus, ad publicos vsus adtulit ac posteritati commendauit. neque angustis intra vnius generis litteras terminis diligentiam suam circumscribebat. exemplis enim **THEODORIANSONII** ab **ALMELOVEEN**, **BARTHOLINORVM**, **OLAI BORRICHII**, **ABRAAMI BERKELII**, **HERM. CONRINGII**, **ANTONII VAN DALEN**, **CASP. HOFFMANNI**, **MEIBOMIORVM**, **PATINORVM**, **THOMAE REINESII**, **IAC. SPONII**, **IAC. TOLLII** aliorumque otium elegantiaæ atque humanitatis doctrinaæ consecrauit, sibi que principem locum inter medicos politioris musæ huius vindices effecit. sed tamen non est, quod de ingenio atque eruditione **WEDELII**, quæ in clarissima luce omniumque conspectu posita est, copiose differamus. doctorem excellentissimum discipuli multarum regionum, prouinciarum, vrbium loquuntur, quorum maximi ad ipsum
facti

facti sunt concursus, quos & docuit incredibili suauitate, summa eruditione, idque tam perspicue, itaque sincere, ut omnium ad se oculos animosue aduerteret. loquuntur WEDELIVM tot in non vnius disciplinæ genere publicata monimenta, dissertationum numero CCLXI. tanta moles & scripta alia, quæ sunt:

- I. *Progressus academia naturæ curiosorum, catalogo patronorum & collegarum expressus* MDCLXXX. 4.
- II. *Opiologia ad mentem academia naturæ curiosorum* MDCLXXXII. 4.
- III. *Specimen experimenti chimici noui de sale volatili plantarum* edit. II. MDCLXXXII. 12.
- III. *Experimentum chimicum ipsum, quo demonstratur, posse ex plantis parari sal volatile, etiam sine igne & additamentis* ed. II. MDCLXXXII. 12.
- V. *Aphorismi aphorismorum, id est aphorismi Hippocratis in porismata resoluti* MDCLXXXII. 12.
- VI. *Theoremata medica, seu introductio ad medicinam* ed. II. MDCXCII. 12.
- VII. *Tabula synoptica de compositione medicamentorum extemporanea* edit. II. MDCCI. fol.
- VIII. *De medicamentorum compositione liber, tribus sectionibus distinctus* edit. II. MDCXCIII. 4.
- VIII. *Pharmacia in artis formam redacta* edit. II. MDCXCIII. 4.
- X. *Pharmacia acroamatica* MDCLXXXVI. 4.
- XI. *Tabula chimicæ synopticæ cum præfat. ad amplissim. alchimie addictorum ordinem* MDCXCII. 4.
- XII. *Introductio in alchimiam* MDCCVI. 4.
- XIII. *De medicamentorum facultatibus cognoscendis & applicandis libri duo* MDCXCVI. 4. qui in linguam Anglic. translati sunt.
- XIII. *Amœnitates materiae medicæ* libris II. MDCCIII. 4.
- XV. *Syllabus materiae medicæ selectioris* MDCCI. 4.
- XVI. *Theoria saporum medicæ sectionibus XI* MDCCIII. 4.
- XVII. *Physiologia medica sectionibus IV. distincta* edit. II. MDCCIII. 4.
- XVIII. *Physiologia reformata* MDCLXXXVIII. 4.
- XVIII. *Pathologia medica dogmatica sectionibus III.* MDCXCII. 4.
- XX. *Tabula pathologico-therapeutica* MDCLXXXVII. fol.
- XXI. *Exercitationes pathologicæ. therapeuticae* MDCXCVII. 4.
- XXII. *Exercitation. semiotico-pathologicae* MDCC. 4.
- XXIII. *Consilium medicum de peste* ed. II. MDCCII. 4.
- XXIV.

XXIII. *Compendium praxeos clinicae exemplaris secundum ordinem casuum
Timaei a Guldenklee* MDCCVI. 4.

XXV. *Exercitationum medico-philologicarum, sacrarum & profanarum cen-
turia prima* MDCCI. 4. *centuriae secundae decas prima* MDCCIV. *decas
secunda* MDCCVIII. *tertia* MDCCXI. *quarta* MDCCXV. *quinta*
MDCCXX.

XXVI. *Epitomes praxeos clinicae sect. 1. de morbis capitis* MDCCX. 4.

XXVII. *Schediasma de sale volatili oleoso* MDCCXI. 4.

XXVIII. *Exercitatio de usu rationis humanae in sacris* MDCCXIII. 4.

XXVIII. *Compendium chimiae theoreticae & practicae methodo analytica pro-
positae* MDCCXV. 4.

XXX. *De morbis infantum liber* MDCCXVII. 4.

XXXI. *Experimentum curiosum de colchico veneno & alexipharmaco simplici
& composito* MDCCXVIII. 4.

loquuntur VVEDELIVM liberalissimæ inuitationes magno-
rum regum ac principum, qui respublicas suas, suas musarum
sedes ipsius lumine illustrari atque ornari voluerunt; fidem ta-
men, qua vitam spiritumque serenissimis Saxoniae ducibus de-
uouerat, maluit seruare. plurimi sunt fastigio fortunæ, splen-
dore munerum, doctrinæ celebritate, meritorum fama maxi-
mi, egregii, viui, mortui viri & in Italia, & in Gallia & in
Germania, ad quos dedit litteras & a quibus recepit. quo-
tidie ad eum referebant de doctrinæ capitibus eruditi, quibus
promte & humaniter respondebat. quid multa? ipsa ingenii
magnitudo, mira eruditionis copia, nitor & præstantia moni-
mentorum, remedia felicissima eaque propria, quibus mor-
bos, etiam difficillimos prohibuit vel expugnauit, effecerunt,
vt simul ac virtus eius splendere cœpit, publicis muneribus ad-
motus, ac posthac re bene gesta, sensim ac sensim maximis ho-
noribus ornatus & in summo fortunæ & dignitatis gradu col-
locatus fuerit. etenim anno MDCLXVII. religiosissimus PRIN-
cipum ERNESTVS ipsum Gotham euocauit & medici pro-
uincialis munus ei tradidit, quod cum singulari auctoritate ad-
mirationeque omnium gessit. proinde anno MDCLXXIII.
dignissimus iudicatus, qui redux ex Belgio vacuum medico
professore prouinciam in hac academia capesseret: & anno
MDCLXXXV. a serenissimis Saxoniae ducibus IO. GEORGIO,
FRIDERICO, ALBERTO, BERNHARDO, GVILIELMO ERNE-
STO in partem consilii vocatus ac nomine tituloque archiatri
ornatus. nec hæc præmia meritis VVEDELII digna vide-
ban-

bantur, quum magna illorum adhuc fieret accessio. namque a serenissimis ac potentissimis imperatoribus romanis, a LEOPOLDO quippe MDCXCIII. comes sacri palatii constitutus, & a CAROLO VI. anno MDCCXVI. nec non MDCCXXI. ab eminentissimo electore Moguntino amplissima consilarii dignitate auctus, etiam ann. MDCCXVIII. serenissimi principes GVILIELMVS ERNESTVS & ERNESTVS AVGVSTVS voverunt clementissime, vt esset ab ipsorum consiliis aulicis, & anno MDCCVI. in societatem illorum venit, qui auspiciis potentissimi regis Borussiae meliores litteras in altius elegantiusue fastigium promouere connituntur. magistratu academico decies functus est & collegio medico saepe numero cum honore tituloque *decani* praefuit. quae omnia expresse demonstrant INGENIO magnum VVEDELIVM.

Magnus fuit MENTE, cuius summam dignitatem praestantiamque in virtute positam esse, recte semper censuit & re ipsa, sua viuendi ratione confirmauit. fuit in NOSTRO ad rem diuinam propensissima voluntas & studium pietatis maximum, pro quo hoc egit & voluit, hoc dixit & sensit, vt deum semper mente comprehenderet, eumque piis teneret cogitationibus. coetibus sacris omnium diligentissime interfuit, quos celebrare nunquam vlla culpa aut negligentia omisit, adeo vt quidquid vel votis postulare, vel mente assequi potuit, ad pietatis retulerit laudem ac praesidium tutelamque in diuino reposuerit cultu. quam pietatem quamuis non in speciem & ostentationem, sed intra pectoris penetralia coluerit; nihilominus vt ignis, latere non poterat, sed per alias virtutes earumque exercitationes multiplices emicuit. inprimis elucebat singularis cura & amor in liberos tenerrimus & officiorum erga alios incredibile studium, quibus data ipsis seruiendi facultate, omnes humanitatis partes praestitit, nec vnquam ita clausit opes suas, vt miseris afflictisque eas non aperiret. non turgebat paedagogico fastu, non inflatus opinione doctrinae reliquos praese contemnebat, nec de illis iudicabat sinistre, recte censens, talem alios castigandi libidinem mentis corruptae & a vero amore alienae clarum esse indicium. muneribus suis omni fide & diligentia satis fecit, etsi vires corporis per senectutem sensim ac sensim frangebantur. in aduersis, quibus & ipsius constantiam deus explorauit, haud succubuit, omnesque casus etiam

iam grauisimos, vxorum ac liberorum iacturas forti tulit animo & pietate patientiaue quasi scuto se firmavit. nam quod ad matrimonium adtinet, anno MDCLXIX. primum castissimum illius foedus pepigit cum virgine clarissima CHRISTINA SABINA, viri illustris ELIAE HENRICI AVEMANNI, a consiliis sanctioribus serenissimi principis Isenacensis filia, & ex ea genuit anno MDCLXX. CHRISTINAM THEODORAM, paucis post mensibus defunctam: MDCLXXI. ERNESTVM HENRICVM, philosophiae & medicae artis doctorem insignem, etiam professorem academiae huius meritis grauissimum, qui anno MDCCIX. mortalitatem suam finiuit: ann. MDCLXXIII. IVSTINAM REGINAM, quam consultissimus D. IOACHIMVS SEEKVS, in prouinciali curia caussarum patronus & in oppidano senatu syndicus domum duxerat morte ereptam MDCXCVII. item ann. MDCLXXV. virum excellentissimum & vsu peritissimum IO. ADOLPHVM doctorem & professorem medicum celeberrimum, a consiliis & archiatrum serenissimorum Saxoniae ducum, medicum prouincialem Saxo-Vinariensem, collegam nostrum exoptatissimum, quem & ingenio & virtute patri simillimum deus in ornamentum academiae nostrae per longum tempus conseruet: ann. MDCLXXVI. ZACHARIAM GVILIELMVM, eodem anno mortuum & MDCLXXIIIX. CHRISTIANVM, qui primum sanitati tuendae illustrissimi comitis de LIPPE praefuit; post hac autem feliciter medicinam morbis adhibuit Lubecae, vita defunctus MDCCXVI. quam coniugem, quae nunquam ab eius societate & amplexu abstrahi atque seiungi debuit, si votis respondisset fortuna, anno MDCLXXIX. d. IIII. martii amisit. quocirca quum rationes non paterentur manere viduum, ann. MDCLXXIX. sibi iunxit MARGARETHAM CATHARINAM, viri summe reuerendi D. IVSTI SOEFFINGII, sacrorum Rudolstadtensium antistitis principis & concilii ecclesiastici praesidis filiam & D. NEVBERGERI viduam omnes complexam laudes. qua quum anno MDCCVII. iterum orbaretur, aequo animo calamitatem tulit, donec nobilissima virgo SOPHIA CATHARINA, consultissimi D. ADOLPHI CHRISTIANI SCHELHASII in iudicio aulico caussarum patroni & oppidi huius consulis filia superioris luctus & solitudinis molestiam abigeret seque ipsi traderet in fidem matrimonii, ex qua suscepit anno MDCCVIII. IO. WOLFFGANGVM: MDCCVIII. SOPHIAM DORO-

DOROTHEAM: MDCCXI. CATHARINAM ELISABETHAM
WILHELMINAM & MDCCXIII. CHRISTINAM REGINAM
SOPHIAM, quæ iam e vita excessit.

Sic vita VVEDELII illustris fuit, cuius splendori ne
quid deesset, mors quoque ipsi contigit illustris. quamvis enim
vires corporis senio graui frangerentur; animo tamen semper
vigente & firmo stetit partesque muneris diligenter præstitit,
adeo vt d. VI. septembris anni superioris concionem acade-
micam aduocauerit ac saluti nostrarum rerum prospexerit.
sed vehementi affectu commotus post meridiem dolorem
cordis ac maiorem virium imbecillitatem sensit, & ad horam
XII. noctis deliquio animi correptus tam pie, quam pla-
cide exspirauit, splendidissima RECTORIS MAGNIFICI
dignitate ornatus. CIVES carissimi! hodie funus magnifici
Prorectoris, illustris VVEDELII sacra honestandum
est oratione, quum d. X. sept. anni proxime transacti ipsius
corpus in templo Paullino solemniori ac debita pompa se-
pulturæ honore adfectum fuerit. merita VVEDELII, no-
bis non admonentibus, vestra religio ad exsequias digne
prosequendas vos inuitant. vixit igitur eheu! & viuere de-
siit, qui dignus fuit immortalitate. vixit: immo viuuit
GEORGIUS VVOLFFGANGVS VVEDELIVS
per seculorum memoriam. viuuit in monumentis, quæ ex-
struxit ingenii: viuuit fama gloriaue virtutum: viuuit viuet-
que in bonorum omnium memoria: atqui hoc est, quod
solatii vim ad mitigandum dolorem nostrum adferre potest.

P. P. sub academ. sigil. d. XXVIII. mart. anno salutis reparatæ

MDCCXXII

